



χοιρίλειον / choerilium

SCHOL. VET. in Aristoph. *nub.* 467 (p. 110. 12 sqq. Holwerda) ὥστε γε σοῦ Rs] ἡ περίοδος ἐννεάκωλος, ὧν τὸ μὲν πρῶτον χοριαμβικὴν ποιεῖ συζυγίαν· τὸ δὲ δεύτερον ἀνάπαιστον προσοδιακὸν δωδεκάσημον. τὸ γ' ἰαμβικὸν πενθημιμερές. <τὸ δ' δακτυλικὸν πενθημιμερές,> συνῆπται δὲ καὶ τὸ ἐξῆς ἀναπαιστικὸν ἐφθημιμερές· καὶ γὰρ τὰ δύο ἔπος. τὸ ς' δακτυλικὸν πενθημιμερές, ὡς τὸ δ'. τὸ ζ' ἰαμβικὸν πενθημιμερές. τὸ η' ὡς τὸ ς', συνῆπται δὲ τῷ ἐξῆς ὄντι ἀναπαιστικῷ· καὶ γὰρ τὰ δύο τὸ λεγόμενον χοιρίλειον VRs.

SACERD. GL VI 502. 6 sqq. dactylicum metrum omnibus et simplicius et antiquius est, quod dividitur in species XVII: hexametas quidem quattuor, heroicam, bucolicam hexametram, choeriliam, priapeiam.

SACERD. GL VI 507. 17 sqq. nunc de choerilio metro secundum dispositionem specierum metri dactylici doceamus. de choerilio hexametro et eius schematibus octo. choerilium metrum, quod et diphilium et angelicum nuncupatur, constat penthemimerica caesura et syllaba et altera penthemimerica. unde est metrum hexametrum catalecticum: una enim syllaba deest ut sint in eo pedes sex. huius metri est graecum exemplum: (com. adesp. *694 [PCG VIII, p. 193] Kassel-Austin)

ἦνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν σατύροις,

latine sic: (cf. Verg. *georg.* III 368 sq.)

intereunt pecudes, stant corpora magna boum.

[sed exemplis schemata octo doceamus] ponamus igitur schemata quattuor, sed duplicata utriusque caesurae penthemimericae, sicut antea docui, syllabam adicientes primae caesurae, in qua syllaba finiatur pars orationis necesse est: bini dactyli cum suis syllabis et una syllaba in medio plus, ut: (cf. Verg. *Aen.* I 1)

arma virumque cano nunc arma virumque cano;

bini spondei cum suis syllabis et una in medio plus, id est in fine primae caesurae: (cf. Verg. *georg.* I 150)

mox et frumentis est, mox et frumentis;

bini dactyli et bini spondei cum suis syllabis et una plus in medio: (cf. Verg. *Aen.* IV 558)

omnia Mercurio dant, dant Musae dulces;

bini spondei et bini dactyli sum suis syllabis et una in medio plus:

exempla vero nos omnia nostra damus;

singuli dactyli et singuli spondei ex utraque parte cum suis syllabis et una syllaba in medio plus:

cuncta tibi nunc do sic carmina te digna;

singuli spondei et singuli dactyli cum suis syllabis et una in medio plus:

Musarum cecini nunc cuncta metra tibi;

dactylus, spondeus, sua syllaba et una altera plus, spondeus, dactylus <et> syllaba: optima Musarum do metri choerilii;

spondeus, dactylus, sua syllaba et una altera plus et dactylus, spondeus et syllaba: praecepta memorans de pectore caelesti.



haec sunt schemata metri choerilii. sed ne quis nos imperitiae arguat, quod quattuor schemata praemisimus esse huius metri, sed bina singulae caesurae, et exempla posuimus octo, hoc debet scire, quod singulae caesurae huius metri percussae quaterna schemata habent, inter se tamen copulatae altera quaterna. nam aut quattuor sunt dactyli, ex utraque parte bini; aut quattuor sunt spondei, ex utraque parte bini; aut primi duo sunt dactyli et duo spondei novissimi; aut duo spondei primi et novissimi duo dactyli; aut in prima parte dactylus et spondeus et in novissima similiter dactylus et spondeus; aut in prima parte spondeus et dactylus, in novissima similiter spondeus et dactylus; aut in prima parte dactylus et spondeus, in novissima spondeus et dactylus; aut in prima <parte> spondeus et dactylus, in novissima dactylus et spondeus. quorum schematum exempla supra tractavi. hoc tamen scire debemus, quod ex hoc metro sublata illa syllaba, quae plus ponitur in prima caesura penthemimerica, et secunda caesura remanente integra monoschematista dactylica penthemimerica erit metri elegiaci secundus versus pentameter. quod metrum ideo non est additum in numero specierum metri dactylici, quoniam non est uniforme per singulos versus, sed binos, et quoniam species est speciei, id est metri choerilii, non generis, id est metri dactylici.

ΑΡΘΗΝ. GL VI 70. 17 sqq. e cuius genere (*scil.* dactylico) hae metrorum species gignuntur, diphilium seu choerilium, logaoedicum seu archebulium, aeolicum sive sapphicum et cetera, de quorum statu ac ratione suo loco dicemus.

ΑΡΗΤΗΝ. GL VI 110. 21 sqq. choerilium seu diphilium metrum ex eodem pentametri ortum esse genere res ipsa indicat. est enim e dactylica specie derivatum, suprema tantum versus syllaba, quin sex pedibus profluat, brevius. incipit autem a duobus dactylis, tertia regione spondeo semper manente, et rursus ex duobus dactylis et syllaba una. huic duo cola, quae penthemimere diximus, ad crescentem media syllaba, qua spondeus gignitur, formam dedisse noscuntur, qua detracta ad elegiacum pentameter versus revertetur, velut:

nunc age Pierios versus dea Calliope,

item: (cf. Verg. *buc.* 8. 21)

incipit Maenaios mecum mea Melpomene.

choerilium autem amphipiles dicitur, quod <in (*add. Vollmer*)> initio et [in] fine imminutum est, ut:

tibi namque decens lucet rosa vertice.

SERV. GL IV 461. 7 sqq. choerilium constat pentametro (*scil.* dactylico) hypercatalecto, ut est hoc:

pulchra puella comas ambit sibi palmitibus.

[R.S.]